Preces populi tui quesumus domine *collect.* clementer exaudi ut qui iuste pro peccatis nostris affligimur pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per.

lect. epl. ad corinth.

Fratres. Nescitis quod hi qui in stadio currunt omnes quidem currunt sed unus accipit bravium. Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit ab omnibus se abstinet. Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro non quasi in incertum. Sic pugno non quasi aerem verberans sed castigo corpus meum et in servitutem redigo ne forte cum aliis predicaverim ipse reprobus efficiar. Nolo enim vos ignorare fratres quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes mare transierunt et omnes in moyse baptizati sunt in nube et in mari. Et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt et omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra. Petra autem erat cristus.

GR. Adiutor in oportunitatibus in tribulatione sperent in te qui noverunt te quoniam non derelinquis querentes te domine. V. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis patientia pauperum non peribit in eternum. Exurge domine non prevaleat homo.

Tractus. De profundis clamavi ad te domine domine exaudi vocem meam. V. Fiant aures tue intendentes in orationem servi tui. V. Si iniquitates observaveris domine domine quis sustinebit. V. Quia apud te propitiatio est et propter legem tuam sustinui te domine.

lec. s. ev. secdm matheum.

In illo tempore. Dixit ihesus discipulis suis parabolam hanc. Simile est regnum celorum homini patrifamilias qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam terciam vidit alios stantes in foro otiosos et dixit illis. Ite et vos in vineam meam et quod iustum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam et horam nonam et fecit similiter. Circa undecimam vero exiit et in